



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibvs Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1612**

6 An ratione periculi, cui mutuu[m] exponitur, aliquid ultra fortem exigi  
possit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14014**

to sciri, quantum sit lucrum cessans, vt contingit v. g. in exemplo pridem supra posito, de operario solito locare suas operas diurnas, & in artifice solito lucrificare quotidie certum quid ministerio suorum instrumentorum. Aliquando initio non scitur quantitas lucri cessantis: scitur tamen postea, in fine negotiationis, vel temporis statuti. Exemplum sit: eram ego seruaturus meas merces ad tempus, quo plaris aestimandas putabam, vel eram asportaturus ad locum, vbi plus valituras credebam: at vero vendidi tibi hic, & nunc, & postea deprehendimus eas aestimari v. g. centum aureis eo tempore, vel loco, ad quæ seruaturus eram. Aliquando nescitur quantitas lucri cessantis, quia omnino est incerta, cum ex dubio, & incerto penitus euentu pendeat, vt iactus reus ad piscandum, vel vendendum.

His positis, ac prænotatis ad dubium propositum Respondetur, posse deduci in pactum certam, & determinatam lucri cessantis portionem iuxta ea, quæ annotauimus. Nam si certo sciat futura quantitas lucri cessantis, rectè potest initio in pactum deduci, ita vt statim soluiatur, semper tamen deductis impensis, & periculis. Si vero dubia sit, & incerta: potest in pactum deduci, vt in fine tantum soluiatur, quantum deprehendatur fuisse lucrum cessans, vel tantum soluiatur, quantum iudicauerit vir prudens, vel vt certum quid soluiatur, prout plus, minusve iudicatur fore lucrum cessans.

Secundo quaeritur, An in lucro cessante deducendi sunt labores? Respondetur, inter omnes conuenire, pericula, & impensas esse deducenda: sed de laboribus dissentiunt Auctores. Quidam enim aiunt, eos esse deducendos, alij vero negant. Notandum est, labores esse duplicis generis, alios intrinsecos, qui si non fuerint, nullum lucrum edunt: v. g. Operarij non laborans, mercedem non acquirunt, alij labores sunt extrinseci, siue antecedentes, siue comitantes, sit exemplum, eram ego transportaturus meas merces in locum, vbi plaris venduntur in transportando, opus est, vt aliquos labores subeatis, qui non sunt necessarij comuncti eum venditione, nisi tantum, quis ego volo transportare aliud. Vnde dicimus, labores intrinsecos non esse deducendos, quia sunt omnino necessarij: deduci vero debent labores extrinsecos, quia illi non sunt omnino necessarij, nisi ex suppositione: atque ita conciliari possunt Auctores.

Tertio quaeritur, An lucrum cessans possit solui anticipata solutione? Respondetur ex communi omnium consensu non posse solui, sed notandum est, hoc intelligi sic, v. g. Mutuat Titius Caio centum, & quia conuenit inter eos, vt ratione lucri cessantis, Caius soluat Titio quinque, dicitur anticipata solutio, si Titius solui det Caio nonaginta quinque, & ratione lucri cessantis retineat sibi quinque, hoc omnino est illicitum, quia est vsura manifesta: nam perinde est ac si mutuet nonaginta quinque, vt postea sibi reddantur centum. Deinde sit omnino iniustitia Caio mutuatario, quia mutuo petit centum, & tamen ipsi solum dantur nonaginta quinque, retinente sibi quinque eo, qui mutuat: quæ si daret, vt petit Caius, fructum etiam reddidissent ipsi Caio, quo lucro, & fructu priuatur Caius.

At vero non est illicitum, si anticipata solutio intelligatur sic: Mutuat Titius centum Caio, & conuenit inter eos, vt ratione lucri cessantis, Caius soluat Titio quinque, & Titius statim dat Caio mutuo integra centum, & recipit à Caio aliquid aliud, quod aestimatur quinque, v. g. certam portionem olei, vini, frumenti, vel paria gallinarum, quæ dat Caius ratione illorum quinque; de quibus soluendis conuenit inter eos ratione lucri cessantis. Vnde sequitur, vt anticipata solutio semper sit vsuraria, quodcunque soluitur, & detrahatur, vel ex ipsa summa pecuniæ mutuate, vel ex aliqua alia re fructifera, quæ interim dum mutuum redditur, fructum, & lucrum edit ipsi mutuatori; tunc enim mutuator pro mutuo recipit totidem quot dedit, & interim lucratur fructum ex re illa data.

An ratione periculi, cui mutuum exponitur, aliquid ultra sortem exigi possit.

CAPVT VI.

DE hac re tractant Canonistæ in cap. Naviganti, de Vsuris, & Couart. lib. 3. var. resolut. cap. 2. num. 5. Antonin. par. 2. tit. 1. cap. 7. §. 21. Conradus, de Contractibus, quest. 19. conclus. 4. & quest. 39. conclus. 1. Medina, de Rebus restituen. quest. 28. §. Ad secundum argum. Almainus in 4. distinct. 15. quest. 2. Gabr. el, eod. lib. & dist. quest. 11. art. 2. notab. 2. §. Ad idem etiam reducitur Maior, eod. lib. & dist. quest. 31. §. Quartus decimus casus. Caiet. in 2. 2. quest. 78. art. 2. & in Summa. verb. Vsuræ, casu 12. Sorus lib. 6. de Iustitia, quest. 2. art. 1. ad 1. Angelus verb. Vsuræ, 1. q. 37. & 38. Siluest. eod. verb. vers. 10. quest. 34. & 35. Adrianus, in 4. de Restitutione, questione, quæ incipit: Occurrunt circa prius dicta.

Quæritur itaque primò, An quando mutuum, quod Titius dat Caio; est periculo expositum, licitum sit Titio ratione illius periculi aliquid ultra sortem exigere à Caio? Communis est omnium sententia id esse licitum, nimirum quando res ipsa mutuata subiacet periculis; vt contingit, quado mutuamus pecunias alteri per mare eas transfecuro: nam in mari communiter solent esse pericula. Item, si mutuamus pecunia Titio transportaturo per itinera, vel loca latronum, siue hostium. Sed difficultas est, an quando periculum mutui provenit ex parte mutuatarij, qui facile potest ad inopiam deuenire, vel qui solet esse fraudulenter, vel malè fidei debitor, possit tunc in pactum deduci, vt ratione huiusmodi periculi, aliquid ultra sortem teneatur mutuatarius soldere? De hoc sunt duæ opinioniones; Prima asserit hoc non posse in pactum deduci. Ita Sorus loco supra citato: cuius etiam sententiæ videtur esse Conrad. q. 39. conclus. 4. & probant; quia sciens; ac volens subire periculum huiusmodi mutuator, & consequenter sibi imputare debet totum periculum; alioqui non mutuet mutuatario infideli.

Altera opinio ait licitum huiusmodi pactum: sic Medina, Corduben. in Summa, quest. 34. in probatione secundæ opinionis, quæ opinio videtur esse probabilior; quia Doctores communiter aiunt, posse aliquid exigi ultra sortem ratione periculi, & loquuntur generaliter nihil distinguentes; an periculum sit in ipsa re mutuata, an vero sit ex parte mutuatarij. Deinde, quia omne creditum eo ipso, quod est periculo expositum, est minoris aestimationis. Item quando adest simile periculum, Titius mutuator potest dicere Caio: Ego tibi mutuo; si mihi fideiussorem dederis, & deinde Seius potest pro Caio mutuatario exigere à Caio, eo quod seipsam pro Caio fideiussorem constituit. Sed illud idem lucrum, quod Caius dat Seio, eo quod pro Caio fideiussor beat, potest Titius mutuator accipere, quia mutui dati periculum in se suscepit. Item nulla est vsura, si ego tibi mutuo hac conditione, si mutuum perierit quicumque casu sortuito, nihil teneatis mihi reddere; si vero saluum fuerit, teneatis mihi sortem reddere cum tanta lucri portione: nam reuera nulla hiic sit iniuria, nec lucrum recipitur ex vi mutui, sed ratione periculi; quia tu potes ad inopiam redigi, vel fraudibus omnino sortem ipsam denegare.

Secundo quaeritur, An sit vsura, si Titius mutuet Caio centum; eo pacto, vt si Titius moriatur intra duos annos, nihil reddere teneatur Caius, sed sibi retineat integra centum: si vero ultra duos annos vixerit Titius, teneatur Caius, soluere illa centum, & quinquaginta? Respondetur ex Nauar. consil. 23. lib. 3. de Vsur. non esse vsuram, quia illa quinquaginta accipit Titius non vi mutui, sed ratione periculi, quoniam potest perdere si moriatur, integra centum, & ea lucrificare Caius.

Tertio queritur, An ratione periculi possim cum mutuario conuenire ea conditione, vt illum obligem ad contractum assicurationis in eundem mecum? id est quere, An sit usura, si ego tibi mutuem, vt tu obligeris ad in eundem contractum assicurationis mecum: nimirum vt ego mutui quod tibi do, periculum in me suscipiam? Duae sunt opiniones, vna est Adriani *quæstione citata* asserentis, posse id fieri absque usura, dummodo mutuator pro assicuratione, qua mutui periculum in se suscipit, iustum lucrum, siue premium accipiat. Et probat à simili, quia sicut non est usura, si ego tibi mutuem ea conditione, vt tu emas à me merces iusto pretio, vel vendas mihi aliquid, vel loces mihi tuas operas diurnas iusta mercede: sic etiam non est usura, si ego tibi mutuem ea conditione, vt in me suscipiam periculum mutui iusto pretio.

Secunda opinio asserit tale pactum esse usurarium. Ita Caietanus, Cotarruias, Conradus, Sorus, & ceteri Doctores communiter supra citati: & hæc opinio est verior: & ratio id manifeste probat; quia obligatio civilis, qua se mihi aliquis obligat per contractum, est pecunia æstimabilis, & consequenter est lucrum. Ergo si tibi mutuem ea conditione, vt tu obligeris ad mecum in eundem contractum assicurationis, id est, vt ego mutui periculum in me suscipiam, & ob hæc assicurationem ultra sortem lucrum exigo à te, usuram committo; quia ex mutuo lucrum reporto. Idem patet à simili: sicut est usura, si ego tibi mutuem ea conditione, vt te obliges ad faciendum aliquid pro me; quia hæc obligatio civilis, est pecunia æstimabilis, ac ita consequenter ultra sortem lucrum reporto, eam nimirum, quam dixi obligationem.

Quod si objicias: si ego tibi mutuem, possum petere, vt des mihi fideiussores. Deinde Titius, vt pro te fideiubeat, petit à te certum premium quia in se suscipit periculum mutui. Ergo quod Titius fideiussores pro te lucrum exigit, potero ego similiter idem lucrum exigere, ex hoc, quod suscipio in me periculum mutui, quod alioqui Titius fideiubendo susciperet. Respondetur disparem esse rationem; quia fideiussores recipit lucrum pro obligatione, qua se obligauit ad soluendum creditori pro debitore: quod est dicere, lucrum pro obligatione, qua se obligauit ad mutuandum debitori, vt habeat debitores suo tempore, quo satisfaciat creditori. Ex quo solum licet inferre, quod possem ego lucrum à te exigere, si me obligarem ad mutuandum tibi, cum indigeris, quod quidem est licitum: non tamen colligitur, vt ego, quando tibi mutuo, possum te obligare ad in eundem contractum assicurationis mecum, id est, vt sis obligatus aliquid mihi dare ex hoc, quod ego suscipio in me periculum mutui, quod tibi do.

Quod si adhuc virgeas: solum peto à te illud idem, quod alius posset petere. Respondebo, Aliquid amplius peto, nimirum obligationem, qua sis obligatus ad me constituendum assicuratorem mutui. Sicut adique usura non possem te obligare; vt constitueres mihi tertium aliquem fideiussores, vel assicuratorem mutui, qui, nimirum id faciat, eo quod est amicus meus, vel socius vel frater; & volo illi huiusmodi lucrum, aut volo, vt ipse lucri partem habeat, & ego aliam partem, aut vt mihi det totum lucrum, aut vt totum ipse retineat; quoniam est amicus meus, vel frater: nam tunc peto etiam obligationem à te in gratiam, vel bonum meum.

Sequitur ex dictis, quo pacto intelligatur, *cap. Nauiganti, de Usuris*. In eo enim cap. Respondet Pontifex esse usuram, si Titius mutuet Caio nauigaturo, vel iuro ad nauidinas eo pacto, vt ipse Titius, mutuator suscipiat in se totum periculum mutui, & propter hæc assicurationem accipiat certum lucrum à Caio. Adrianus enim prædicto loco putat, responsum Pontificis intelligi in foro exteriori, nimirum condemnari huiusmodi pactum propter præsumptionem usuræ, non autem;

quia sit reuera usurarium, vel secundò, condemnari in casu quo mutuator, propter obligationem, quam in se suscipit, plus lucri accipit, quam sit iustum premium assicurationis. Alij vero aiunt, Pontificem loqui de casu in quo mutuator accipit lucrum cum assicuratione mutui, quando in mutuo nullum est periculum. Sed reuera isti Pontificis menti non satisfaciant; quia Pontifex loquitur de mutuo nauitico, quod ex natura rei periculis subiacet. Aretinus, Angelus atque, condemnari tale mutuum; quia ratione mutui, non ratione periculi lucrum accipitur. Sed hoc est contra textum, vbi dicitur etiam esse usurarium, si ratione periculi acceptum fuerit.

Verus ergo, ac germanus Pontificis sensus est, quod sit usura, quando mutuator obligat mutuatarium ad hoc, vt constituat ipsimet mutuatorem assicuratorem mutui. Et hæc est communis Doctorum sententia locis supra citatis: at verò si gratis fiat assicuratio, non damnatur tibi, vt aiunt Gabriel, Medina, Maior, Adrianus, & Sorus, *lib. 6. de Iustitia, quæst. 7. art. 1. ad 1. & quæst. 4. art. 2. Nauar. cap. 17. num. 225.*

Tertio queritur, An sit usura, si Titius det centum Caio volenti trajecere in Syriam cum naui onusta mercibus, eo pacto, vt perdat illa centum, si nauis perierit naufragio: quod si salva sit, reddantur sibi centum viginti quinque? Respondeo non esse usuram; sic enim ait Nauar. *consil. 21. lib. 5. tit. de Usura*. quia lucrum accipitur ratione assicurationis, non vt mutui.

Quarto queritur, An ratione impensarum & sumptuum, qui probabiliter timentur futuri in recuperatione mutui, licite possit exigi ultra sortem in mutuo? Respondetur, ex communi omnium consensu, licite posse exigi, eo quod, vt supra diximus, ratione damni emergentis, licite lucrum exigitur: sed sumptus qui sunt in recuperatione mutui, sunt certum damni genus; ergo potest exigi lucrum ratione sumptuum, qui timentur futuri.

Quinto queritur, An possit Titius mutuare Caio, & ex pacto penam adijcere, vt si statuto die non soluerit mutuum, solvere quoque teneatur certam pecuniam summam ultra sortem? Respondetur, ex communi etiam consensu omnium, esse licitum talem penam adijcere. Ita Sorus in *4. dist. 15. quæst. 1. quæst. 2. Angel. verb. Usura. 1. quæst. 31. Siluei. eod. verb. quæst. 28.* est enim pena conuentionalis, quia ex conuentione mutuatoris, & mutuatarij, apponitur: & licitum, quod apponitur ultra sortem, non soluitur ex vi mutui, sed ob mortem, & culpam restituendi mutuum. Notandum tamen est Primo, huiusmodi penam licite apponi, dum modo non sit in eadem usura. Secundo, dum modo non sit scandalum alicui. Tertio, vt sit moderata requiritur, vt interueniat culpa, & mora ex parte mutuatarij in restituendo mutuo tempore statuto.

Querens, an hæc pena sit solvenda in conscientia ante sententiam in iudicio? Respondetur esse soluendam; quia in hoc distinguitur pena conuentionalis, à legali, quod legalis solui non debet, nisi post sententiam Iudicis, ac conuentionalis solui debet, ante sententiam, quia est debita ex conuentione partium, & partes ad hoc se obligarunt.

Deinde querens, An sit soluenda ea pena in conscientia, antequam petatur à parte, cui est debita? Respondetur, non esse soluendam, nisi postquam fuerit petita à parte expresse, vel tacite, quia fortassis pars vult cedere iuri suo. Ita docet generaliter de omni pena conuentionali, Covarr. in *epit. in 4. lib. par. 2. cap. 6. num. 11. Corn. consil. 69. lib. 2. consil. 55. lib. 3. Rebus. in Li. C. de Sententijs, quæ pro eo, quod interest, preferuntur, num. 40.*

Querens tertio, An solui in conscientia dicta pena debeat, si mutuatarius tempore statuto soluerit partem debiti, & non totum? Respondetur, tunc solum in conscientia deberi partem penæ pro ratione partus, quæ non est in mutuo soluta.